

1970

/ Admodum Reverende Domine Abbas. Gavisus sum valde, accepta epistola tua, de conformatione voluntatis tuae cum voluntate Domini Dei nostri; et jam intelligo tribulationem istam carceris ex divina providentia tibi datam; non ut tribulationem et carcerem, sed ut solitudinem et eremum, in quo vacare possis contemplationi, et parare animam tuam ad libertatem gloriae filiorum Dei. Quare mihi facile persuadeo Paternitatem Vestram. in ista solitudine ita abundare piis meditationibus, ut non egeat solatiis humanis, et multis amicorum confabulationibus. Satis novit Paternitas Vestra quantum amaverit sanctus noster Petrus Coelestinus solitudinem, et vitam asperam, et carentem omnis humani solatii. Ego certe legens vitam Sanctorum, vix invenio aliquem, qui in hac re aequaverit S. Petrum Coelestinum, ne dum superaverit. Cogitet ergo Paternitas Vestra, se nunc accepisse a Deo, quod noster sanctus Coelestinus semper optavit, id est, ut possit sibi, et Deo vacare, idque in vitae asperitate maxima. Valeat Reverenda Paternitas Vestra, et pro me oret, ut intelligam, quae sit voluntas Dei, et quid fieri velit Dominus meus a servulo suo hoc modico tempore, quo in hoc Mundo mansurus sum. Romae die 4 Februarii 1618.

---